



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Titvlvs XXXVII. De Postvlando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

# TITVLVS XXXVII.

## DE POSTVLANDO.

**I**n partes in causa aliqua contendentes inter se non paciscantur aut transigant, tunc iudicium, seu Iudicis sententiam implorant; & ob eam rem ante omnia Aduocatos, & Procuratores idoneos quaerunt, de quibus hoc & seq. tit. agitur, tanquam de quibusdam praeparatorijs ad iudicia. Videri potest Gl. super rubric. Cod. hoc tit.

Tametsi verò postulandi nomen latius accipiat in l. 1. ff. de postulando; *Postulare est desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictioni praest, exponere, vel alterius desiderio* (id est, actoris petitioni in sua, vel amici causa) *contradicere*, hic tamen strictius accipitur, pro officio Aduocati, seu eius, qui pro altero in iudicio praesente, & causam pro se agente, postulat.

### CAPITVLVM I.

#### Clerici.

##### PARAPHRASIS.

Qui in sacro ordine constituti sunt Clerici, omnes, qui autem in minoribus, si beneficiati sint, coram Iudice seculari in negotijs secularibus Aduocati esse prohibentur, nisi causam propriam, aut Ecclesiae suae prosequantur; vel pro miserabilibus personis, quae se ipsas defendere non possunt.

##### SUMMARIVM.

1. Clericus in minoribus potest esse Aduocatus & Procurator ad lites, nisi sit beneficiatus, vel causa criminalis, in qua periculum sit condemnationis ad mortem, vel mutilationem membri.
2. Clerici in maioribus non Sacerdotes possunt esse Aduocati in omnibus causis coram iudice ecclesiastico: coram seculari vero in causis ecclesiasticis, vel secularibus,

*bus, si causam suam, vel ecclesiae suae, aut personarum miserabilium prosequantur. Miserabiles persona hic censentur etiam ij, qui licet diuites, se ipsos neq. defendere, neque Aduocatum acquirere possunt.*

3. Clerici Sacerdotes neque in ecclesiastico foro vt Aduocati stare debent, exceptis causis de quibus c. ult. hoc tit.

**H**anc materiam, vtrum Clericus possit esse Aduocatus, vel Procurator ad lites, prosecutus sum lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 11. Est verò ita distinguendum: Vel est Clericus in minoribus, vel in maioribus. Si in minoribus tantum, aduocatus esse non prohibetur. Excipe primò, si beneficiatus sit, tum de eodem sentiendum, quod de Clericis in maioribus, qui Sacerdotes non sunt, paulò post dicitur. Excipe secundò; Quòd propter periculum irregularitatis Clericus non debeat esse Aduocatus in causa criminali, praesertim pro Actore contra reum; si condemnatio ad mortem, vel membri abscissionem sequi possit, c. sententiam, 9. Ne Clerici, vel Monachi.

Clerici in maioribus, si Sacerdotes non sint, Aduocati & Procuratores in omnibus causis esse possunt coram iudice Ecclesiastico; coram seculari verò Iudice in causis Ecclesiasticis, sicuti per sensum contrarium colligitur ex hoc c. & docet hic Ioan. Andr. Abb. n. 3. Imolan. 2. & 3. Abb. in c. 2. Ne Clerici vel Monachi, arg. c. pervenerabilem 13. Qui filij sint legitimi. Porò causae seu negotia ad seculare tribunal spectantia, varijs rationibus Ecclesiastica cenferi debent: Vt quia persona litigans Ecclesiastica est, videl. Actor, qui forum Rei laici sequi debet, c. cum sit, 8. de foro compet. Vel ratione rei, vt quia res Ecclesiae feudalis est, & domino seculari obligata, c. nouit, 13. de iudicijs.

Sed & in causis secularibus, & coram Iudice seculari postulare, & Aduocati esse possunt Clerici in maioribus, ac beneficiati omnes, si causam suam, vel Ecclesiæ suæ, aut personarum miserabilium prosequantur. Personæ autem miserabiles censerī debent etiam quæ alioquin diuites sunt, si neque se ipsos defendere, neque Aduocatum alium acquirere possint præter Clericum.

- 3 Denique si Clerici Sacerdotes sint, neque in Ecclesiastico tribunali vt Aduocati stare debent, exceptis causis seu negotijs, de quibus dicitur c. vlt. hoc tit.

## CAPITVLVM II.

### Ex parte.

#### PARAPHRASIS.

Quidam Canonici regulares Aduocati officium cum in Ecclesiastico, tum in seculari exercere soliti sunt, ea excusatione, quod canones, vt c. de præsentium, 20. c. Monachi 35. causa 16. q. 1. Monachis, non item Canonici prohibeant officium Aduocati, vel Procuratoris. Sed Innocentius III. Pontifex respondet; Licet de Monachis specificè expressum fuerit, tamen, quoad hunc articulum, idem quoque intelligendum de Canonici regulariibus, vt Aduocati, Procuratores, atque forensium negotiorum executores esse non possint, nisi pro vtilitate Monasterij sui, & tunc Abbatis, seu Præpositi regularis accedente consensu.

#### SUMMARIVM.

1. Statuta in Iure de Monachis non ob specialem rationem solitudinis, sed ob generalem rationem religionis de omnibus, saltem claustralibus religiosis intelligenda sunt.
2. Religiosi prohibentur officium Aduocati vel Procuratoris in iudicio exercere; præterquam in causa monasterij, accedente mandato Prælati; vel sine hoc in

*causa propria, si suum Prælatum accuset.*

3. In causa alterius monasterij, vel quacunque causa pia, casu, quo nemo haberi posset, qui eum defenderet, probabile est, Religiosum posse cum Superioris sui mandato vna vel altera vice postulare.

**NOTANDVM I.** Quæ de Monachis in iure statuta reperiuntur, non ob propriam qualitatem solitudinis, sed ob generalem rationem religionis, per quam à mundo abstracti, Dei cultui se totos tradiderunt, ea de omnibus saltem claustralibus religiosis intelligenda sunt. Ita sumitur ex hoc c. & notat singulariter Abb. hîc n. 1. Sæpe enim fit, vt in constitutione aliqua species aliqua præcipua pro genere ponatur, ita vt ob identitatem rationis etiam in alijs speciebus locum habere debeat. Quæmadmodum in hoc ipso c. nomen Abbatis sumitur pro quocunque Prælato regulari.

**NOTANDVM II.** Religiosi prohibentur officium Aduocati, vel Procuratoris in iudicio exercere; præterquam si agatur causa Monasterij, & Prælati mandatum accedat. Consentit Clem. Religiosas, de Procuratoribus, vbi additur; Quod sicuti Religiosus in iudicio Procurator esse non potest, ita nec alium Procuratorem constituere, aut sibi substituere. Sed rectè excipit Gl. ver. constituere, eos casus, quibus Religiosus absque mandato Prælati in iudicio agere potest, vt cum Prælatus suum accusat, c. ex parte, 11. de accusat. Nam iisdem etiam Procuratorem loco suo constituere poterit. Imò melius est, vt per Procuratorem agat, quam per se ipsum, c. vn. de Syndico. Deinde si duo Religiosi vt eiusdem causæ consortes in iudicio agere possint, vnus alterum Procuratorem constituere non prohibetur, vti habetur in cit. Clem.

Sed numquid Religiosus cum Prælati sui mandato Aduocatus esse potest pro personis miserabilibus. Ita affirmat Vincentius apud Speculator. lib. 1. partic. 4. tit. de Aduocato, §. 1. num. 3. Imola hîc, num. 3. Sed præstat, vt cum alijs negemus: Quia iste casus

casus in iure non reperitur exceptus: Ergo statim regula generali, quod Religiosus esse non possit Aduocatus, nisi in causa Monasterij, cum Prælati mandato. Cæterum, si ageretur causa alterius Monasterij, aut Ecclesiæ, & vno verbo causa pia, & nemo haberi posset, qui eam defenderet, hoc casu probabilis videri potest prior sententia, quod propter æquitatem, Religiosus cum Abbatibus, seu Superioris sui mandato Aduocati munus vna, aut altera vice assumere possit.

Ea verò nimis ampla videtur explicatio, quam tradit Innocent. in c. cum l. & A. n. 2. de sent. & re iudic. Quod Religiosus mandante Prælate possit esse Aduocatus in iudicio, non tantum si de commodo Monasterij directè agatur, sed etiam, si indirectè, vt quia causa agitur amici, vel fautoris, ex quo commoda Ecclesiæ prouenire possunt. Sed oppositum in praxi seruatur, & sequitur Syl. ver. Aduocatus, q. 7. arg. cit. c. de presentium, & c. non magnopere, 13. Ne Clerici vel Monachi, ibi; *Ne occasione scientia spirituales viri mundanis rursus actionibus inuoluantur.* Vide etiam quæ dicuntur in c. 2. Ne clerici vel Monachi &c.

## CAPITVLVM III.

## Cum Sacerdotis.

## PARAPHRASIS.

Sacerdotes in iudicio agere, vel postulare non debent, nisi suum, vel Ecclesiæ, suæ, aut, postulante necessitate ( quia videl. alius Aduocatus tam idoneus haberi non potest ) coniunctarum, vel miserabilium personarum, causam prosequantur. Ratio adiungitur: Quia officium Sacerdotis esse debet nulli nocere, omnibus autem velle prodesse.

## SUMMARIVM.

1. Clericus in causa ecclesia sua potest esse Index & testis.
2. Sacerdoti in iure perito licet pro spiri-

tuali fratre v.g. Canonico postulare, si is alium aduocatum idoneum habere nequeat.

3. Aduocatus dum vni parti patrocinatur, alteram oppugnat.
4. Clericus, qui contra ecclesiam, à qua beneficium habet, postulat, beneficio priuandus est.
5. Si quis postulet contra alium donatorem suum, donatio illi facta reuocari potest. Nisi Superioris mandatum cogat, vel pro coniuncta sibi persona postulet.
6. Aduocatus contra Rempubl. vel dominum, à quo salarium habet, aduocare non potest, nisi Superioris vel Principis præceptum cogat.

**NOTANDVM I.** Causa Ecclesiæ ponitur vt diuersa à causa propria. Quamobrem licet Clericus in causa propria Iudex, aut testis esse nequeat, potest tamen esse in causa Ecclesiæ suæ, iuxta c. insuper, 6. de testibus, & tradit Gl. in c. si quis erga, 16. causa, 2. q. 7. Abb. in c. 1. n. 1. hoc tit. & dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 6. c. 2. q. 4. except. 3. & c. 4. q. 2. ver. decimo, Sed de hac re dicam plenius infra in c. cum venissent, de iudic.

Dubitant Canonistæ: Vtrum inter coniunctas personas enumerentur etiam fratres spirituales. v.g. Concanonici. Ita affirmat Gl. hic ver. pro seipso. Sed præstat, vt dicamus, sermonem esse de coniunctione sanguinis, iuxta communem explicationem apud Abb. hic n. 4. ver. Aduerte. Nihilominus ob paritatem, seu maioritatem rationis, & secundum æquitatem admitti posset sententia Gl. vt Sacerdoti in iure perito liceat pro spiritali fratre, si alium tam idoneum aduocatum habere non possit, postulare.

**NOTANDVM II.** Aduocatus dum vni parti patrocinatur, alteram oppugnat. Quare cum Sacerdotis officium sit, omnibus benefacere velle, ideo ab eo alienum est Aduocati munus, seclusa necessitate.

\* \* \*

Ecce 3 §. Clo.

## S. Clericus.

## PARAPHRASIS.

Si Clericus, contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneo aliquo Aduocatus, vel Procurator existat, tanquã ingratus beneficio priuari debet.

**R**atio huius est, quia etiam vasallus beneficio feudi priuatur, si contra dominum suum militauerit, lib. 2. feudorum, tit. 24. Quæ fuit prima causa feudi amittendi. Aduocati autem militibus comparantur, cum per eos hominum vita, & patrimonium defendantur, l. Aduocati, 14. C. de Aduocatis & c. Eademque ratione, si Aduocatus contra alium donatorem suum patrocinium alicui præstet, donatio illi facta ob ingratiitudinis notam reuocari potest, sicuti tradit Abb. hic n. 2. Andr. Gaill lib. 1. obseruat. 88. n. 6. argum. huius textus, & c. ult. de donat.

Sed excipi debet primò, Nisi Superioris præceptum, idè quæ necessitas quædam co-

gat. Quæ tamen facillè imponi non debet Aduocatis, vt contra dominos, aut insignes benefactores suos operam suam in iudicio præstare cogantur.

Excipi debet secundò argum. huius textus; Si pro persona sibi coniuncta postulet: perinde enim censetur, ac si propriam causam ageret. Quæ de re Specul. lib. 1. p. 4. tit. de Aduocato, §. 1. n. 30. Ioan. Andr. hic n. 7.

Illud in quæstione est, vtrum Aduocatus patrocinium præstare possit contra Rempubl. vel dominum, à quo salarium habet, vt paratus sit causas eius defendere, si vocetur. Affirmat Abb. hic n. 3. Quia salarium Aduocatus non accipit vt donum, seu beneficium, sed tanquam meritum, seu mercedem. Sed contrarium docent Bartol. in l. 2. C. Aduocatis diuers. iudicum, Andr. Gaill loco cit. Et hæc sententia in praxi apud nos viget, quòd ea conditione expressa, vel tacita conditione salarium annuum Aduocato constituatur, vt contra constituentem aduocare ipsi non liceat, nisi Superioris, seu Principis præceptum cogat.

## TITVLVS XXXVIII. DE PROCVRATORIBVS.



Vomodo Procurator ad lites differat ab Aduocato, leges in Theol. morali lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 7. §. Procurator, & n. 8.

## CAPITVLVM I.

## Alia.

## PARAPHRASIS.

Cùm Episcopi Salonitani causa Romæ decidenda esset, quidam eò accesserunt, vt causam eius prosequerentur: Sed Episcopus

rescripsit, se illos non misisse, idè quæ cum ipsis acta sunt, irrita esse oportere. Postea autem cum idem Episcopus alios submitteret, neque ipsis fidem habendam esse iudicauit Gregor. I. Pontifex, eò quòd mandatum procuratorum exhibere non potuerint. Mandatum itaque idem Gregorius, vt personam instructam cum mandato legitimo, subscriptionibus Capituli, & testium raborato, alijsque actis authenticis transmittat: vt quidquid cum tali procuratore actum fuerit, de iure subsistat.

SVM.